BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

SICILIÆ SACRÆ,

IN QVA SICVLARVM

ABBATIARVM, AC PRIORATVVM NOTITIÆ PROPONVNTVR,

LIBER QVARTVS

IN QVATVOR DISTRIBVTVS PARTES:

In Prima Ordinis Sancti Basilij Magni Notitiæ XXX. . . .
In Secunda Ordinis Sancti Benedicti Notitiæ XXXV.
In Tertia Ordinis Sancti Bernardi Notitiæ X.
In Quarta Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium, atq; Religiosorum Militarium Notitiæ X. continentur.

AVCTORE ABBATE NETINO, AC REGIO HISTORIOGR.

DON ROCCHO PIRRO

S.T. ET V.I.D. REG. CAPPELLANO, CANONICO, APOSTOL. Prothon. atq; in S. Quæsitorum Fidei Tribun. Cens. & Consult.

SVB EXCELLENTIS. D. D. PETRI FAXARDO, ET REQVESENS, Marchionis Vellesij nostri Proregis auspicijs.



BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

PANORMI,

Ex Typographia Nicolai Bua, & Michaelis Portanoua Impressorum Sanctissimæ Inquisitionis. M. DC. XXXXVII.

Imprim. Salerno V. G. Imprim. de Denti P.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

ILLVSTRISS. AC REVERENDIS. DOMINO

DON DIDACO REQVESENS

ARCHIEPISCOPO CARTHAGINIĒSI,

ELECTO EPISCOPO MAZARENSI,

ATQVE

ARCHIMANDRITÆ S. SALVATORIS MESSANÆ.

ABBAS D. ROCCHVS PIRRVS HISTORIOGR. REGIVS

S. P. D.

TRIBVS iam in lucem editis Meæ Siciliæ voluminibus (Antiſtes Illuſtriſs.) non mediocri, niſi me animus fallit, chriſtianæ Reip. cõmodo; quartũ quaſi corollarium adiungo lubens, quod *Abbatias Sicilienſes* in notitię lumen ex tenebris antiquitatis educet. Hoc ego opus Tibi Abbatũ, ſiue Paſtorum Principi (talem enim Perſonam dignitatis tuæ nomen elatum oſtendit) Tibi, inquam, in manus trado; vt quoniã libri priores tres Philippi IV. Regis nomini inſcripti, eiuſq; Regiæ Maieſtatis Epiſcopatuum fundatricis auguſto ſplẽdore coronati in publicum prodiere; hic Tibi cõſecratus pacifico Eccleſiaſticæ dignitatis eorum gubernatricis ependyte* conueſtitus appareat. Quod ſi illi debebantur Regi, vt intelligeret quas Eccleſias Paſtoribus decoraret, hic eſt addicendus tibi, vt omnes norint, quales Paſtores ſint Eccleſijs decoramento: hi nimirum, quorum ſacerdotales virtutes Regijs ſunt inoculatæ. Tua enim incorrupta morum integritas, doctrinarum ſcientia, paterna in gregem charitas, in gubernando prudentia, in ſpeculando vigilantia illuſtrantur generis claritate, ijſq; inſignibuntur ornamentis, quæ ab Auis in te tuis cum ſanguine ſunt traducta. Non ea mihi mens eſt, quando & facultas deeſt, in anguſta epiſtolæ tela, calamo quaſi acu depingere primæuæ tuæ originis, hoc eſt Bauariæ domus ex immemorabili antiquitate decora repetitum enarrare, vti primùm delecta nouem Procerum manu ad recipiendam Catalauniam transgreſſa ſit. Relata temporũ vetuſtate ea facinora omittamus, tantò fortaſſis venerabiliora, quãtò altiori tecta ſilentio. Res præclarè geſtæ, & ardua incæpta Garzarenorum,

*Latinè pallio.

BIBLIOTECA COMUNALE DI PALERMO

NOTITIA PRIMA

ECCLESIAE QVASI EPISCOPALIS MAGNI ARCHIMANDRITATVS S. SALVATORIS LINGVÆ PHARI MESSANÆ.

AVCTORE ABBATE NETINO, AC REG. HISTORIOGR. DON ROCCHO PIRRO.

CEleberrimum S. Saluatoris Cœnobium Messanense alijs omnibus Basiliani ordinis & mole ædificij, & opum magnitudine, & Iurisdictionis amplitudine excellit; ideoque magni Monasterij nomen obtinuit; cius verò Præsul quæsita à Græcis dignioris vocabuli nouitate *Archimandrita*, latinè Abbatum maximus Pater, & Prælatus nuncupatur: Templum ad portum Messanensem Iesu Christo Seruatori omnium se conditurum vouit Rogerius primus Siciliæ, & Calabriæ Comes, vbi primùm ad eijciendos è Messana saracenos littus occupauit: itaque Deo auspice, Messana anno sal. 1059. capta *a*, confestim ad apicem Isthmi, vbi nunc est pharus, seu *Turris Laterna* ædem sacrã extruxit, & S. Saluatori dicauit, *b* vt eius diplomate dato Messanæ anno mundi 6602. sal. 1094. constat. Quas tubinde breues admodum, humilesq; ædes Rogerius Rex eius filius funditùs demolitus, munificentia Rege digna, nobiliori ac ampliori structura, ac forma augustiori adiecto etiam pauimento marmoreo, ac porphyretico, diuersiq; coloris tessulis compacto *c* reparauit, pluribusq; opibus, prædijs, ac templis, & abbatijs ditauit, vt non immeritò huius magnifici empli primus institutor, & auctor à plerisq; sit habitus Rex, *d*. qui in suo diplomate dato anno mundi 6641. & altero 6642. fundatorem se appellat. Sed anno 1540. (si Bonfilio credimus) eo templo ac cœnobio adiuncto cœlesti fulmine percusso, vel cum Fazello *f*, quòd *ætate sua à Carolo Cæsare ad vrbis, & Regni tuitionem Arx ibi munitissima, & ingentibus propugnaculis circumsepta insigni opere condenda esset*, Monachi intra vrbis mœnia ad templum olim monialium D. Mariæ à Misericordia, donec nouum exædificaretur, remissi sunt. Series autem Archimandritarum hæc:

1. R. BARTHOLOMAEVS S. Basilij etiã vitæ, morumq; sanctimoniæ sectator, & imitator primus sub Comite Rogerio præficitur huic monasterio; eius res præclarè gestas F. Daniel Basilien sis & ipse monachus prosequitur græca oratione *g* latinè tradita. Sic *in vitam, mortesq; S. Patris nostri Bartholomæi Fundatoris magni Monasterij S. Saluatoris in Isthmo portus Messanæ* h: *scilicet.*

Cùm

a In nostra Chro. Reg. f. 10. et in not. Mess. f. 296. & Fazel. dec. 1. f. 48. Syluester Maurolyc in mari magno fo. 84. & eidē Maurol. l. c. & Fazel. loc. c. & in sua Mess. fol. 6. & loc. cit.

g autograph. in tab. ei⁹dē Archim. *h* ex Caiet. in sua Idea f. 95.

a Reg. [illegible] 1550 Bonfilio

Ann. Christ.

Cùm Basilius antiquæ Sybaris Domini filius Deo se mancipandi studio teneretur, patrijs opibus, mundique illecebris nuncium remittens, B. Cyrillo magistro, monasticam professus est, Basilij nomine in Bartholomæum commutato. Tum severioris, atq; ascetice vitæ cupidine pellicea veste cõtectus, nudisq; pedibus incedens, baculo crucis signum in vertice referenti incumbẽs, quo dubios firmaret gressus (quippe assidua ieiunandi consuetudo, nimiæq; corporis afflictationes florenti licèt ætate non parùm valetudinem labefactarant) in montes Rossano proximos se recepit. Igitur asperrima locorum ingressus in spectum præruptis collibũs, inaccessisq; rupibus horridum, atque opacis syluis obsitum secessit: vbi cùm ædiculam D. Martino sacram senem quemdam, cui nomen Blasio, incolentem inuenisset, ab eo exorauit, vt paucorum olerum sibi ministerium exhiberet, quibus parcè admodum vtens, & syluestrium herbarum conuescens radicibus, nuda cubans humo, diuinis meditationibus, ac psalmodiæ indulgens; procul ab hominum frequentia cælesti finitimam vitam ducebat. Sed cùm aliquando Deo ita disponente, venatoribus nonnullis fortè patefactus fuisset, eorum narratione de viri sanctitate permoti monachi quidam ad eum se contulerunt, atque eius admirandas virtutes præsentes suspicati, ei suadere conati sunt, longè gratius Deo se facturum, si vnà cum ipsis in Cœnobio degeret, exemplo, & doctrina plurimùm cæteris profuturus. Quorum suasiones minimè ad spiritualis vitæ profectum conducere arbitratus, illis abeuntibus in auia nemorum horridiora perrexit, vbi à Virgine Deipara peruisum fuit admonitus, vt cœnobitarum votis obtemperans, eorum se consortio copularet. Interim ad eum aduocandum regressi monachi cùm eum priore, quo viderant, loco minimè reperissent, maximo affecti dolore in genua prolapsi Deum rogauere, vti suum famulum ijs indicare dignaretur: tùm ecce ignea columna eo loci considere visa est, vbi Bartholomæus supera meditationum vi elatus supplices cælo tendebat manus. Inde igitur in Rossanense monasterium Beatissimæ Virginis Odygitriæ abductus, multis cœpit clarere miraculis. Paulò pòst cum paucis monachis Constantinopolim ad Imperatorem profectus, eius sanctitate perspecta ab Alexio [a], & genitrice Irene Sanctorum non paucas reliquias, ac sacrorum librorum, atque ornatuum copiam, quibus monasterium indigere videbatur, munera retulit. Rossanum reuersus à Comite Rogerio Messanam aduocatur, vt monasterio nuper in Insula D. Hyacynthi (nunc vulgò bracchio S. Raynerij) extructo præficeretur. quò duodecim secum è suo cœnobio adductis fratribus partem quoq; munerum ab Imperatore acceptorum intulit. Cœterùm à non nullis monachis eius disciplinæ rigorem ferre non sustinentibus per summum scelus ad Comitem delatus est, quòd simulatæ virtutis specie plurima scelera, nefandã in primis hæreseos labem admitteret, sumptusq; ad cœnobij ædificationem erogatos partim vsui suo adscisceret, partim in cognatos, & propinquos insumeret. A Comite de obiectis criminibus semel, atq; iterum interrogatus, cùm ne verbum quidem ad ea diluenda responderet, tanquam hæresis conuictus, cæterorumq; scelerum reus iudicum suffragio igni damnatur. Iamq; ad supplicium rapiendus id vnum Comitem rogat, liceat sibi priùs quã inflicta pœna multetur, sacrum de more facere. eius rei copia à Rogerio facta, ad D. Nicolai de Casis Basilianorum Cœnobium diuerticulum ducitur extra vrbem ipso Comite cum omni ferè magistratu conueniente, populoque frequẽtissimo ad spectaculum confluente: cùm ergo mysteria offerens, Hostiam Sacrosanctam elatis manibus adorandam astantibus exhiberet, nubes pellucida altare circumsepiens omnium oculis spectandam se præbuit, in qua cælestium militum agmen diuino obsequens Sacramento cernere erat. Tanto igitur miraculo Comes, ac

[a] ab Ann. 1081. ad an. 1119. imperauit.

reliqui in ſtuporem adducti ad Sacerdotis innoxios pedes accidentes veniam errati ſupplices petiere. protinus autem mandatum, vt in improbos delatores pœna conuerſa in paratum roguſ continuò proïjcerentur. quorum omnium vitam vir ſanctiſſimus perfectam charitatis formam in Chriſti ſchola eductus à Comite deprecatus eſt. paulòq; pòſt eiuſdem conceſſu ad Roſſanenſe Cœnobiũ rediit, vnde Lucam ſpectatæ virtutis virum tranſmiſit, qui à Rogerio primum electus eſt Archimandrita, vti ex regio diplomate, eiuſq; tumuli epigraphe in D. Ioannis compertum eſt. En diploma. Aun. Chriſt. 1130.

a Lib. Reg. Mon. fol. 84. ex auctograph. apud Archim.

ROGERIVS a in Chriſto Deo pius, & fortis Rex, & chriſtianorum adiutor. Quia ea, quæ ſunt præſentis vitæ corruptibilia, & mortalia exiſtunt, & inſtar capillorum ex alijs in alios mutantur, mirabilem quãdam harum rerum religionis amatores mutationem dextera altiſſimi dignam iuxta pſalmum cogitauerunt, & vt permanerent firma, & æterna, omne ſtudium adhibentes, alium tramitem non inuenerunt, niſi erigere diuina templa, & dedicare illis eorum poſſeſſiones, & reddere Deo. Etenim ſit, quòd per inceſſabiles hymnos, & laudes, quæ fiunt in ipſis, Deus ſine intermiſſione colitur, & glorificatur, & ipſi conſequuntur memoriam æternæ beatitudinis, & aſſiduæ orationis. huiuſmodi enim exemplum veluti regulam primitiuam quamdam tranquillitas noſtra ſequuta, diuinum, & ſacrum fundamentum erexit, b atque templum edificauit in promontorio Portus Meſſanæ inſulæ Siculorum ad gloriam, & laudem Magni Dei, & Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, à quo, & coronam accepimus, & immaculatæ Matris eius Sanctæ Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ, & confeſſoris patris Sancti Nicolai, hoc venerabile templum in magnitudinem, & decorem, diuinæ prouidentiæ gratia, conſenſu Hugonis venerabilis Epiſcopi, c & Canonicorum Meſſanenſium, mandramque hoc nuncupantes, & facientes, videlicet matrem monaſteriorum, quæ ſub ea exiſtant & Archimãdritam in eo conſtituentes ſcilicet patrem, & Prælatum Abbatũ d, qui ſub eo exiſtunt; Decernimuſque pro epiſcopali iure ſoluere eamdem mandram dictæ Eccleſiæ epiſcopali annuum cenſum, centum libras ceræ, viginti thuris, xx. caphiſos olei, & xx. nummos ſiue ſolidos pro omni epiſcopali iure ſecũdum factam inter nos, & dictum Epiſcopum cum ſuis canonicis concordiam, vt dictum eſt, quam accepimus, & cuſtodimus in poteſtate, & mandato noſtro, & hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum. Eum, qui eligi debet Abbas in ipſa Saluatoris mandra; eligi debet à monachis, qui ſunt in ea, videlicet à toto conuentu ſecundum diuinos, & ſacros canones, & confirmari debet à noſtra Maieſtate, vel hæredum, & ſucceſſorum noſtrorũ, & benedici de iuſſu noſtro. Volumus præterea idem noſtrum monaſterium eſſe liberum, & exemptum ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ſimiliter ab omni perſona eccleſiaſtica, & ſæculari. Eius Prælatus, & ſui ſucceſſores, ſi fortè acciderit dubitatio alicui ex aliquo, volumus quòd non reſpondeant, niſi coram nobis, & hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris. Liceat autem eidem Prælato, & eius ſucceſſoribus, ſi aliquando opus eſſet ei, clericis ratione eiuſdem, etiam in quocumque monaſterio, vel loco noſtri Regni reperti fuerint, tales ducere ad ſe ſine vlla prohibitione, & abſque alio impedimento penitus ab aliquo; eos verò, qui fugiunt mundum, & ad eamdem diuinam mandram accedentes ex quauis fortuna, & conditione exiſtant, de cætero ab aliquo non moleſtari iubemus. Volumus præterea monachos eiuſdem mandræ habere griphum * liberum, & propter reliqua eorum ſeruitia maris, & in ipſorum reſeruatione diuinitùs conſeruata; claſſis noſtræ habere marinarios liberos quadraginta, qui nullo pacto impediantur ab aliquo noſtrorum ſeruitorum, vel aliquo reliquorum miniſtrorum eiuſdem ſco-

b Rogerius Rex à fundamẽtis erexiſſe dicitur

c Hugo adhuc Epiſcopus dicitur.

d Archimãdrita, id eſt pater, et prælatus Abbatum.

Quomodo eligendus Abbas ex Regia Cõfirmatione.

*γρίφος græce, latinè rete, ſagena.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA